Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2337
Quelle:
Copyright:

quod in quibusdam *Angliae* Mſs. *Moralitas Speculi Burnelli* dicitur, cum re ipſa totam *Aſini* fabulam, quae *Speculi* materia eſt, de Monacho conditione ſua non contento interpretetur; alterum vorſa ad eundem *Guilhelmum*. Prologus noſter multo brevior ab utroque differt, et incipit: *Dilecto ſibi in chriſto fratri wilhelmo Suus nigellus ſalutem. Nuper a me editum licet ſtilo minus exarato et ſapido libellum tibi transmitto legendum.* Opuſculum ipſum in VI. quaſi *capita* diviſum ſic ingreditur: *Aſinus quidam natura decoratus aurium longitudine, conatus eſt habere caudam parem* &c. Per decurſum παραφρασης ita verſatus eſt, ut Poetae membra ſaepe tantum disjeciſſe videatur, quin et Carmen aliquoties retinuit, ut in *Cantico Brunelli*, quod incipit:

Cantemus ſocij feſtum celebremus aſelli &c.

In *Epitaphio Fromundi*:

Fratribus exemplum frater fromundus in euum &c.

Et in totius Narrationis epilogo. *Sententia Brunelli de Ordinibus* Religioſis, quam *Martenius Vet. Monum.* T. VI. p. 1. ſeorſim edidit, adeſt in *Cod.* noſtro, ut in editis *metricis*. Male itaque conjecit *Manſius Fabric.* L. II. p. 286. ab his abeſſe, quia illud in exemplo ſuo Mſ. non haberet, quod probe mutilum eſſe oportuit. Perperam idem Ordinem recens in *Anglia* inſtitutum *ſymphinigram* adpellat, quanquam bene ad *Gilbertum* referat, e cujus loco natali *Sempringham* vel *Semplingham* finceram ſcriptionem diſcere potuiſſet. Codex noſter legit *ſimplingam*, utique rectius quam editorum *Simplegeam*. Neque *Martenius* probandus, qui *l. cit.* ad carmen illud de *Monachis albis* carnes furtive comedentibus:

Carnibus abſumptis veſtigia nulla videbis
Ne clament Her her, *oſſa ſepulta jacent.*

autorem *Germanum* fecit, quod *Her her* domine domine ſignificet. *Angloſaxonica* expreſſio eſt Praelati oſſa deprehendentis: *Her her!* i. e. *hic hic!* — Ad calcem in noſtro *Cod.* legitur: *Explicit*

Speculum ſtultorum reperitur copia quorum
Rome colonie nec non vbique locorum.

Adjecta